

18
18









F.F. 110.
~~103~~. 111

~~Conan 2a. Sean ... E~~

XXVI.

~~D. XIIII.~~ 47

ORATIONES

DVÆ, QVARVM


PRIOR EST DE NATVRA FEBRIS PETICVLARIS EIVSQVE CVRATIONE:

posterior de studijs Chymicis coniungendis cum Hippocraticis; habitæ in Auditorio Medicorum Coloniensi

AB


HERMANNO FOLLINO
PHIL. ET MED. DOCTORE & Professore.

Inuidia Comes virtutis.





COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud Gerhardum Greuenbruch.
ANNO M.DC.XXII.



NOBILISS. AMPLISS. ET
Prudentissimis Viris & Dominis

D. IOANNI A BOLANT,

nec non


D. MELCHIORI GAYL,

Sacræ, inclytæ, & liberæ, Imperialis civitatis Coloniensis.

CONSVLIBVS

Dignissimis, Dominis, meis Gratiosis & Benignis;

Cum ALGEBRA
Hasce duas ORATIONES
Monumentum.
Quod debui Aureum, vel Marmoreum
Sed
Quod valui pro tempore, quodq; habui pro facultate
Litterarium & chartaceum,
Mole paruum, vtilitate magnum,
Nec manu CAPIENTIS librandum
Sed animo TRIBVENTIS ponderandũ,
In
Debiti honoris Τεκμήριον.
Constantis obseruantiæ σύμβολον,
Grati animi Διδακτήριον,
consecrat, dedicatq;
HERMANNVS FOLLINVS.
Anno CIↃ. IↃC. XXII.



BENIGNE LE-ctor,

An ſecundùm hic verbis opus eſt? non puto. Quæ dicere volui, in alio Prælo-quio dixi: Tu tantùm noſtris laboribus fruere, vel ſi diſpliceant, ſodes ignoſce, ſi loquar

Mome fauere decet prodeſſe volentibus, Ergo
Carpere tu noli noſtra, vel ede tua.

MAGNI-



MAGNIFICE DOMINE RECTOR,

NOBILISSIMI, ET AMPLISS. DOMINI CONSVLES, Excellentissimi, Expertissimi, Reuerendi, Eximij, Consultissimi viri Doctores, Prudentissimi Senatores, Auditores deniq; Spectatissimi.



VANQVAM non mediocriter me perturbet insolita perorandi consuetudo, Nobilissimorum & grauissimorum auditorũ, qui huc frequentes ad hanc solennitatem decorandam conuenerunt, conspectus longè amplissimus, lociq; maiestas in quo pedem fixi, ex quo nunc fugere turpe esset, vel oscitanter dicere ignominiosum, tamen si cogitem quod de morbo dicturus sim, quo ferè nihil ferocius, nihil monstrosius esse possit, quodq; vestra humanitas, vestraq; beneuolentia erga me tanta sit, vt hodie non velut iudices meæ declamationis, sed amici, imò veluti promotores huius quem consequar honoris, accesseritis,

non possum non denuo, omisso metu lætari, & mihi de tanta fælicitate gratulari, viresq; ad dicendum resumere. Etenim quis porcum Ephippio, vel Simiam purpura ornabit, vel matronam honestam meretricio cultu vestiet? Non singula singulis rebus conueniunt. Habet vnumquodque suum quo vult pingi colorem: habent res suam orationem, qua describi postulant. Alijs vocibus Philosophus, alijs Theologus, alijs Medicus vtitur, quibus suas scientias explicant. Si igitur in exprimenda idæa monstrosissimi morbi, quem Vngaricum à familiaritate regni, indigetent, non penicillo oratorio, pigmentisq; Rhetorices vtar sed Medico, quod rem nude sensibus obijcit, haud vestrûm quenquam futurum puto, qui propterea nos velit, vel possit meritò reprehendere. Quid enim peccati committitur, si monstrosa febris, pro genio eiusdem monstrosa oratione delinietur? De vestra omnium ergo me humanitate, affectu & beneuolentia dubitare qui possem, quarum fructus carpo hoc ipso tempore dulcissimos quo hac ipsa verba profero? Non itaque terrebit me nomen Febris Pestilentis, ad quod plerique mortales toto animo & corpore solent perhorrescere, non ipse morbus sæuissimus humani generis hostis, non vestri generis nobilitas, auctoritas, experientia, quo minus disseram de immani hac bellua, qua robustos & imbelles iuxta cruciat & trucidat. Alias de peste, quæ instar Basilisci est, duos li-

bros scripsi : nunc de febre peticulari breuiter dicam, quæ ferocia, immanitate & horrore ad eandem proximè accedit, atque hoc ita faciam populari sermone, vt omnes Auditores, licèt Medici non sint, tamen quid sit febris pestilens, & quomodo profligetur, apertè & plane possint intelligere, modo ad breue temporis interuallum me sua fauoris aura dignentur.

Vt pictores ingeniosissimi artifices, quando hominis, vel alterius cuiusdam animalis imaginem ad viuum cupiunt exprimere, prius rude quoddam opus delineant eleganti naturæ imitatione, quæ semper ab imperfectis ad perfecta solet progredi, & posterius vario colore variisque penicillis eandem perpoliunt, sic nos in Idæa febris pestilentis exprimenda, prius ruditer eandem adumbrabimus, & tandem penicillo accuratiore perficiemus. Febris itaque pestilens meo iudicio nihil aliud videtur esse, quàm, vt cum Poëta loquar, monstrum horrendum, ingens, informe, quòd nec Pyraustam, Rhinocerotem, Vulturem, Leonem, Vulpem, Hircum, Cantharides, Cuculum, Lupum, Scorpionem, testudinem possis dicere, sed ex omnibus his bestijs ferisq; compositum. Nunc non ampliùs loquatur de suis monstris Afer: sileat de sua bestia septem capitum Theologus: taceat fabulosus Poëta de suo tricipiti Cerbero: Nos Medici paullò In Apoc. Ioan. c.13.

maiora canimus, monstrum damus non fabulosum, sed verum, non commentitium, sed naturale. Si quis ex arbore pyra discutiat, pyrum eam esse negare non potest, si grossos colligat, ficum esse admittet, quomodo tàm cæci esse possumus, vt ex insidiis non vulpem, ex robore non Leonem, ex tardo huius morbi motu testudinem non agnoscamus? Meritò Auditores, morbi ferocissimi genium cum belluis truculentis comparandū esse duximus. Quis Deum creatorem, quis Angelos incorporeos, quis accidentia spiritualia, capit, cognoscit, & intelligit, nisi per collationem creaturæ & corporum, à quibus species oriuntur, quarum beneficio intelligimus? Vt enim visus licet fuerit acutissimus, nequeat cernere nisi id quod coloratum, luciduḿq; existit; Sic intellectus noster non capit nisi corporeum, vel quòd sub ratione corporis repræsentatur. Nunc verò cum virus istud, quo pestilens febris furit, non ex elementorum qualitatibus primis vel secundis, non ex temperamentorum Harmonia proficiscatur, sed ex mixtorum formis ducat originem, calestemq; naturam referat, quis non optimè factum iudicat, quod vires morbi pestilentissimi, cum truculentis bestiis comparauerimus? Geometra non peccat, si docendi gratia, pro linea bipedali eiusdem portionem supposuerit: Mathematicus extra reprehensionem est, si superficiem à corpore consideratione sua abstraxerit, licet talis nequeat existere: Physici hodie ingenio tam subtili & perspicaci sunt, vt fictricis potentiæ viribus,

bus, Deum extra mundi complexum præsentem esse concipiant. vbi tamen nihil rei esse fatentur, quare mihi Medico minorem fingendi, coniungendi, diuidendiq́; animo potestatem concedetis, quamuis ita res sese integrè non habeant, vt planius & euidentius demonstrem naturam istius feræ, quæ totum orbem terrarum populatur? Non enim in Hungaria solùm regnat, licet morbus Hungaricus vocetur, sed per Galliam paßim, Hispaniam, Germaniam, totamq́; Europam, & nostram quoq́; Coloniam sæuißimè debacchatur. Nidum suũ habet hoc monstrum in Hungaria, quam ita amat, vt nullo tempore ab eius amplexibus possit auelli; nomenq́; hinc habere cæperit. Sic Phtisis Lusitaniam, Bronchocele Sabaudiam diuexat: Sic Strumæ Hispaniam, Hydrocele Galliam deformat: sic Icterus Calabriam, Scorbutus Hollandiam deuenustat: Sic Elephas morbus, (vt cum Poeta loquar) qui propter flumina Nili, gignitur Ægypto in mediâ, neq́; præterea vsquam Atthide tentantur greßus: oculiq́; in Achæis Finibus, & vt breuiter dicam, Vnaquæque regio, domusq́; suos patitur manes. Age verò si membratim hoc portentum euisceres, si pictoris instar monstrosam imaginem rudi penicillo exhibitam, magis artificioso velis exprimere, luce clarius Pyraustam, vulturem cæterasq́; bestias, quas modo nominaui, hic viuere conspicies. Incomparabilis naturæ Doctor Aristoteles in Cypri insulæ fornacibus ærarijs, vbi Chalcitis lapis diebus pluribus crematur, ex Medio igni nasci tra-

Lucretius lib. 6. de Natura rerum f. 229.

Lib. 5. de Hist. Animal. c. 19. Plinius li. 11. c. 36.

dit pennatum quadrupes quod Pyrausta dicitur. Hoc maioris Muscæ magnitudinis per ignem salit, ambulat, volat & quādiu est, in igne viuit: quûm verò euasit longiore paullò volatu, tunc moritur. Si pisces in Oceano, in fluminibus, in elemēto humidissimo generentur, nolite mirari si quòd animal velut Pyrausta, in igne elemento siccissimo viuat & extra eum moriatur. Pyrausta noster morbus est: in igne consistit quicquid virium habet: extra ignē penitus languescit. Febris.n. quæ vernaculâ Præceptoris Hippocratis linguâ πῦρ est, ignea sua potestate salit in arterijs, palpitat in Thorace, volat in neruis. Quamdiu morbus est in corpore, tādiu miser homo febrit, quando autem febrire desinit, nulla ipsam amplius stomachi flāma, nulla sitis Tantalea, nulla linguæ ariditas, scabrities, scissuræ, quæ ignis sunt testimonia, carnificant. Non enim Hippocrates tantùm vel Galenus, vel vnus medicorū recentiorum Fernelius, Rondelitius vel Hollerius docet febrem esse calorem primigeniū qui commutatus est in igneum, sed oēs Medicorum Scholæ, oēs Academiæ. Quare si morbus Vngaricus est febris, vt effecta demonstrant, quæ paulò ante recitauimus, quis non videt animal hoc ex igne nasci? quis Pyraustā non agnoscit? Vulturem verò si in hoc morbo videre cupitis, agite & considerate mecū quòd, auctore Philosopho, hæc auis in excelsissimis rupib. nidificet vt hinc rarò nidum pullosq́ eius liceat cernere. An non similiter febris hæc pestilens ilico instar vulturis ad supremū tectum nostri corporis, puta cere-

Symptomata.

Febris.

Sitis.

De Hist. Animal. lib. 6. c. 5.

cerebrum ascendit, & dolore ineffabili veluti suo pullo testatur, se ibidem sedẽ suam, nidumq; deligere? Quoties.n. molestas ægrotantiũ querelas de carnificina capitis audiuimus? quoties miseros mortales inclementia morbi, mente motos fuisse deprehẽdimus? Alij de suis mercibus incompositè garriebant: alij de vini corruptela & adulteratione veluti caupones loquebantur: de litib. Iurisconsultus multa effutiebat: De conflictu, stratagematibus, bellicisq; machinis Miles erat sollicitus, deniq; quisq; de sua arte, quæstu, aut genere vitæ vigilãs somniabat, vt rectè dixerit Poëta Claudianus, Caussidicis lites: aurigę somnia currus. Atq; hæc crux non vno aut altero die tantùm perseuerabat, sed plures in dies prorogabatur, atq; adeò ad extremũ morbi, vt meritò in excelsa rupe viriũ imbecillitas subitanea hominu, vultur hic nidificasse appareat. Enimuerò faciliùs est in hoc medico monstro Leonẽ cognoscere, qui velut Rex animaliũ sua fortitudine & robore cunctis antecellit. Exigua gloria est pueros edentulos, adolescẽtes imberbes, fœminas molles posse prosternere, & imperio suo subiugare: at maioris laudis & roboris est viros posse pedib. proterere, non togatos tantùm, sed quos natura musculosos effecit, quosq; mars aliquot annis exercuit. Noster Leo indifferẽs est circa personas: non sexũ, non ætatem, non genus, non neruos magni æstimat: intrepido animo imbelles & robustos, generosos & degeneres, plebeios & nobiles iuxta adoritur. In quâ dimicatione cogitate sedes quas vires oportet expro-

Dolor capitis.

Deliriũ.

expromere, quos lacertos intendere, vt magnanimo huic Leoni resistamus? Et quamuis Herculeo simus animo, quamuis robore Samsonico prædití, tamen primo congressu panopliam nostram qua vitam tueri volumus, lacerat frangitque, vt Medicus in subsidium pugnæ vocatus, ex repentina virium imbecillitate statim colligat, quòd deplorandus æger cum Leone pestilenti pugnauerit. Si sani ab occursu tantum Leonis expauescamus, quo vultu? quibus viribus, futuri sumus vbi ex pugna cum Leone attriti decumbimus, vt nec genu, nec pes, nec manus præ tremore valeat officium facere? Vtinam adhuc aperto Marte pugnaretur, quando in hanc arenam debemus descendere, non vsque adeò ab hoste timendũ esset: at ex insidiis vita petitur, non Leonis tantùm robur, sed vulpis astutiam oportet pertimescere. Induciæ vbi nobis concessæ esse videntur, clam hostis bellum gerit: vbi nihil periculi esse videtur, ibi vitam ponimus. Romanos laudo, qui suos feciales ad bellum indicendum mittebant, antequam id susciperent: Odi artes Machiauellicas, quibus exclusa honestate, vtilitatis tantùm habetur ratio: detestor fraudes Mansfeldianas quibus fortunæ, non datæ fidei consulitur. Vis Leonis noxia est, sed vulpeculæ fraus capitalior. Etenim quæ potest esse fraus maior quam pulsu, Vrina & excrementis naturalibus, veluti induciarum testibus, omnia fausta ac salutaria polliceri, & interim clandestina vi hominem perimere? Hinc illa vox admirabilis Medici auditur:

Tremor artuũ, ex Venen.o.

Fallacia.

Vrina bona, pulſus bonus & æger moritur! *At in Coacis prænotionibus hanc Vrinam quæ citra rationem matura eſt*, Opt. *medendi præceptor malam eſſe pronuntiauit. Cognoſcitis ergo Auditores, morbum hunc vulpem eſſe, quæ nullo negotio inexercitatos Medicos decipit, & miſerum patientem clanculum trucidat. Vidi ego meis oculis puellam robuſtiſsimam triduo ſublatam eſſe è medio, quàm nulla ſitis, ardor, ſubuerſio ſtomachi, anxietas corporis, aliudque malum vexauerat, niſi leuis dolor capitis, de quo apud domeſticos conqueſta fuerat. Maximum illud morbi teſtimonium eſt, repentina virium collapſio, quæ non poſſet fieri, niſi diuinum quid eſſet, quod vitæ inſidias tendit. In cæteris morbis qui veneni ſunt expertes, ægrotantium vires ſenſim ſine ſenſu atteruntur: in hoc malefico* (*mirabile dictu*) *quanta celeritate cadant, quanta vi præcipitentur. Id verò malum multò maximum eſt, quod non ſaturetur cruore vnius hominis quem dilaniat, ſed inſtar lupi cuiuſdam in familiares, conſanguineos & proximum quemque crudeliter inſiliat. Patet id quotidiè ex denſatis funeribus, quæ magno cum mœrore Reſp. intuetur: id domus deſertæ teſtantur, liberi ſuis chariſsimis parentibus orbati, licet fari ſubinde non poßint, tamen lacrymarum vbertate, veſtiumque luctu loquuntur. Horreſco adhuc totus, vbi obuerſantur animo puerorum, mulierum, & robuſtiſſimorum virorum cadauera, quæ peſtilens malignaque lues congeſſerat,*

Vrina laudabilis.

Contagiū.

ferat, & auctoritas Amplißimi magistratus olim nobis iudicanda cõmiserat. Lupus hic rapax est, quem non emollit pietas, non infantium innocentia, non muliebris sexus infirmitas, sed solùm sanguine placatur, non ouium sed hominum, non vnius sed plurium. Vnde qui cum moderatione hunc lupum non timet, ille vel suæ vitæ perosus est, vel mente captus vt non assequatur ingens malum, quòd multorum ceruicibus impendet. Optarem sanè vt nostri Colonienses paullò plus metuerent, nec Rhenum armaturam inexpugnabilem aduersus hanc feram existimarent, magisq́; crederent medicis de hac iudicantibus, non amitteret tot ciues egregios Resp. quos hoc monstro dilaniatos indies intelligimus. Caueant sibi ne eandem cantilenam quam olim Amplißim. Consul Syluaducensis suis ciuibus occinuit, cum fidem mihi Medico derogarent, iudicanti morbum esse pestilentiam, diuina castigatione docerentur: Discite mortales moniti, non temnere Diuos: *necessum sit ipsis audire, quando increduli, sicuti nuper in foro fanario contigit, plurimorum morte veritatem addiscunt. Multas feras veluti Pyraustam, Vulturem, Leonem, Vulpem, lupum, commemoraui ex quibus monstrum componitur, non tamen adhuc omnes persecutus sum. Videor.n. mihi obseruare quòd adhuc sit Rhinoceros, Canis, Hircus, Cantharis, Cuculus, Sanguisuga, testudo, deniq; Scorpio terrestris, quæ non minùs id de quo loquor monstrum con-*

stituunt

stituunt, quam animalia quæ prius recensui. Si ad aluinam corporis regionem oculos conuertamus, quis hic Rhinocerotem non agnoscit, qui semper in conflictu istam partem animaliũ impetit, quàm forsitan ad vitam tuendã conseruãdamq; valdè necessariam esse arbitratur? Pax sit auribus, Auditores, si oratio nostra ad faces alui, ad excrementa corporis deuoluatur, quæ non acrimonia mellis, non copia recentis musti, non cydoniorum pomorum astrictio exturbat foras, sed virus perniciosum in hoc morbo pr[illegible]ulsat & eliminat. Etenim non tam crasso oportet esset ingenio vt cogitemus alui profluuium magis prodesse quàm obesse, plus ad salutem quàm ad interitum facere. Pax non est, vbi bellum geritur: amicus non est, qui alium vult interficere: hostis est qui ciuitate proprios ciues & incolas exterminat. Certè non secus hic agitur, quàm si ciuitas ab hoste occuparetur, armis res tantùm gereretur, pro aris ac focis pugnaretur, denique sanguis non sine horrore profunderetur. Excrementa enim incolas, sanguinem verò mecum proculdubio ciuem legitimum corporis esse iudicabitis: at hic sæpè leniter per nares veluti per vnam portarum stillat, sæpè initio morbi liberaliter plenaque manu quasi cætera ciuium per eandem ruit: sæpè per aluum profluuio dysenterico cum torminibus, & carnificinâ immani, profluit. Sanguisugam morbum hunc dicere, non reformidauerim. Ex auditu vel lectione non habeo, quæ commemoro. Vnde

Profluuiũ alui.

Hæmorragia Narium 7.

Dysenteria.

sed

sed recenter miserando spectaculo interfui, dum famulus aurigæ cuiusdam, iuuenis florente ætate, in hac ipsa ciuitate vehementia morbi aliquot libras sanguinis è naribus consentiente omnium qui adfuerunt iudicio, effuderit. Ex incolarum habitu, moribus & conditione, quos ante excrementa esse diximus, quis Mephitim non percipit? quis non exclamat, hirco sunt omnia plena? Oculos claudamus, nos ipsi sine Catulli alicuius indicio, sudoris miram graueolentiam, f..cum ventris intolerabilem putorem, Vrinæ ingratissimum odorem percipiemus. Non tamen ea sunt omnia, sed certius veneni argumentum est, quòd hircus sudans, statim ab ortu suo se mirum in modum moueat, saliat, & exultet non sine spectantis Medici admiratione futurique mali præsagio. Vt enim auspices ex auium diuerso volatu, Nescio, quid boni vel sinistri ominentur, sic Medicus ex Ephemeridibus Coacis Hippocratis, Exsudantes, incalescentes malum esse pronuntiat. Infœlix quippe excretio est, quæ naturam onerat, non leuat: malum est vnde natura turbatur, non promouetur. Quòd si olidus noster hircus deponat ab initio suæ originis, ventris [illegible], liquidum: viride, liuidum, pingue & spumosum, quis huic Alexipharmaco opus esse inficiabitur? Quis adeò Philosophiæ imperitus est, vt ilico non colligat tantam putredinem nisi venefica vis comes existeret, à febricula, tam breui temporis interuallo, non posse sobolescere? Ex Vrinis, exercitatus

Excremēta fœtida. Sudor, Stercus, Vrina.

tatus

tatus Vroscopus non tantùm magnitudinem putredinis sed ineffabilis veneni perniciem colligit. Laudabilis enim Vrina, si febris, sitis, dolor capitis, Cardialgia, virium collapsio, vel aliorum prauorum symptomatum syndrome præsens fuerit, liquidò venenum quasi intento digito demonstrat: tenuis & cruda in principio febriculæ, facultatum corpus humanum gubernantium imbecillitatem arguit: crassa & turbida maximam putrefactionem, ebullitionem, commotionem humorum, naturæq; impotentiam significat, quæ nequit separare crassum à tenui, humores continere & conficere. Quare si cocta subito fuerit, grauius malum, si rubea vel in superficie quid æruginis contineat, perniciosam vim, si fœteat, hircumq; oleat, putredinem portendit. Ex hac humorum ebullitione instar ollæ cuiusdam aquâ feruidâ plenæ, miser homo in Caninos mores degenerat. Cui eructare turpe erat, eum iam non pudet palam vomendi desiderium ostendere, vel in conspectu familiarium, consanguineorum, & grauissimorum virorum vomere cibos vel putredinem vel pharmacum redolentes, quibus lectum sæpiusq; totum cubiculum implet. Si enim halitus pestilens os ventriculi feriat, nausea, cibiq; fastidium procreatur: si corpus eius attingat, vomitus sine dubio subsequitur. Vt in Oceano fluctus fluctum trudit, ita in hoc morborum monstro vnum ex altero nascitur. Etenim quis Cantharidum vim non agnoscit, vbi hypogastrium incipit

Nausea. Vomitus.

Vrinæ retentio..

pit aqua tumescere, quando vesica aurā pestilentem ex humorum agitatione sensit? Retinetur vrina loco suo conclusa & malum malo cumulat, ardoremq́ ægrotanti excitat quasi misellus ebibisset Cantharidum pulverem, quæ parti nominatæ sunt exitio. O quot laquei sunt vitæ finiendæ, quæ suopte ingenio breuis existit! Si quis porrò stigmata oculis perlustret quæ in thorace, dorso, cæterisq́ corporis partibus apparent, non secus æger in hoc morbo, quàm Cuculus punctis distinguitur. Parum erat tot mala pati, tot casibus obnoxium esse vnum hominem, nisi pariter accederent myriades stigmatum, quæ & multitudine & colore nunc sanguineo, nunc liuido, nunc nigro sanos & astantem percellerent. Multitudo enim macularum, copiam veneni, color autem feritatem ipsius demonstrat. Mater vbi videt liberos suos de vita periclitari, accurrit anxia, dexteram porrigit, omnemque noxiam repellit, quis naturam veluti parentem sollicitum non obseruat, nobis in discrimine vitæ versantibus opitulari, vitæq́ hostem omnibus modis repellere non exspectata temporis commoditate, qua id post humorum coctionem securè possit perficere? Malum non dat inducias vbi in corpore receptum est: sæpè tertio vel quarto die id conatur extrudere natura, quæ crudelitatem hostis examinat, sæpè nono vel vndecimo ob humorum crassitiem in quibus virus stabulatur. Si igitur malitia humoris, ebullitio, & copia facultatem ad excretionem stimulent, merito terret nos hic Cuculus

Morsus pulicares.

Lib.6. Histor. Animal. c.7.

culus qui velut infelix auis infortunium nobis auguratur. Enimuerò sicut ex repentina macularum excretione, feritatem & crudelitatem mali nos lacessentis intelligimus, sic ex veteri huius Cuculi cantilena, ex pristino morbi insultu & conflictu cum natura, docemur hostem adhuc non eiectum esse corpore, sed eijciendum, copias aliquas leuis armaturæ dissipatos esse, cuneos verò militum, aciemque robustiorem loco suo consistere. Secus verò hic accidit, quàm in alijs prælijs vbi vnica hora vno vnico temporis momenteo victoria paratur, hostiumque, vires extemplò ruunt caduntque: hic autem propter veneni genium, quòd coctione non corrigitur, sensim ac lente morbus elanguescit, vt Testudinem ob id nominare mihi placuerit. Crisis nulla. *In febribus malignis nunquam ego crisin salutarem, perfectamque nunquam experientissimus Doctor Mercatus, Hispaniarum Regis Archiater, nunquã Excellentiss. Vir Clariss. Doct. & Professor HoliZemius, & Decanus noster Ampliss. quem honoris ergo nomine obseruauit, quanquã non vnum aut alterũ, ægrotum sed ferè quadringẽtos diuina sua arte ab hoc pernicioso morbo, vindicauerit, & sanitati pristinæ restituerit. Non dubito nunc (Auditores Ornatiss.) quin monstrũ hoc ex partium suarum declaratione facilè cognoscitis: at hæsitabitis adhuc, vbi nascitur? quis parẽs fœtus tàm prodigiosi? Ex quo semine immanis hæc fera gignatur? Dicã vobis, sed tribus verbis: Proles est* Scorpionis terrestris : *quæ cum*

 dixi.

Hist.lib.5. de Hist. Animal.c. 26.

dixi, omnia dixisse mihi videor. Si fœtus parentibus similis sit, Scorpio noster morbus est: si terrestris sit, corpus nostrum illa terra est in qua gignitur: si proles sit Scorpionis terrestris, parentem suum cui vitam debet, infanda sæuitia interficit. Nos parentes morbi sumus & ab eodem deuoramur: Ex sanguine nostro ducit fera originem, & vitæ finem nobis imponit. In nobis tanquam in vtero materno concipitur, fouetur, nascitur, & veluti Nero quidam matrem suam occidit. Oritur magis in pueris, iuuenibus, adolescentibus quàm in senibus: nascitur potiùs in calidis & humidis temperamento quàm reliquis: gignitur frequentiùs in obesis pinguibusq́; quàm gracilibus, in regione potiùs calida & humida, vere potius quàm æstate, vtpote quæ maiorem putrilaginem procreat, deniq; in densis potiùs quam raræ texturæ corporibus, ob quotidianæ fuliginis effluuium retentum, quòd necessitate quadam debet putrescere. Semen immanis belluæ sanguis noster est, sed putrefactus in venis maioribus corporis, non semper solus, sed sæpè cum aliis humoribus, bile, pituita & melancholia commixtus, quamuis præcipua materies vitiosi apparatus sanguis existat. Mirabimini forsitan hoc monstrum venenatum in nobis nasci, ex nostro sanguine originem ducere: at si perpendatis, quòd Doctiss. Hollerius Scorpionem in cerebro hominis natum viderit, quòd vngues excrementa nostri corporis assumpta, nos haud secus pertur-

Lib. 5.c. 17.

turbent quàm infame Antimonium, quodque menstruum mulieris, iudicio Doctissimi Mercurialis, coeuntem febre pestilenti contaminet, omnem admirationem estis deposituri. Aer enim semipestilens, quem vel liberior aura non verberauit, vel quem siderum maleficorum conspectus fluxus aliorumque causarum concursio genuit, humores nostri corporis ex esu alimentorum prauorum natos veluti parens pernicioso halitu imprægnat, fouet, animatq; vt gignatur monstrum quòd ab ignea vi Pyraustam, à capitis obsessu Vulturem, à robore Leonem, à fallacia vulpem, ab alui ruina Rhinocerotem, à vomitu Canem, à fœtore Hircum, à crudelitate & contagio Lupum, à vesicæ læsione Cantharides, à stigmatibus Cuculum, à tarda morbi solutione Testudinem, demùq; ab ortu ipsius Prolem terrestris Scorpionis indigetanimus.

Ita delineauimus vobis monstrum, Auditores Nobiliss. & Ampliss. cuius Herculem veluti domitorem eius in altera Orationis meæ parte quantâ possem breuitate subijciam.

Medicus ergo exercitatus ad domandam hanc belluam, verus Hercules est, qui tribus armorum generibus Diæta, Pharmacia, & Chirurgia, atrocissimam feram domat: domitam finibus corporis expellit: Expulsam cohibet ne infiniti mortales repentina internecione deleantur. Si putredo & venenata vis, coniunctis viribus in morbo pestilenti dominentur, cum iuxta celebratissimum Medicorum axioma, contraria

contrarijs curentur, nemo Physicarum rerum tàm imperitus est, quin statim colligat aërem frigidum & siccum esse oportere, putredinis gratia quam calido humidoque fieri Philosophorum decretis manifestum est. Venenum verò sicut diuinioris est originis, sic cælestem magis vim requirit, quâ coerceri & superari debet. Sed vbi talem quæremus, licèt cubiculum fuerit ad aquilonem, si cœlum pluat, si continuus imber descendat, veluti elapsis mensibus contigit? Si natura deficiat sit ars subsidio: excludatur hominum frequentia: sternatur pauimentum folijs violarum, rosarum, vitis, salicis: poma aurantia, citriaque collocentur: aquâ lauendulæ, rosarum, vel aceto alijsque odoriferis aër castigetur.

Si vigiliæ sint immoderatæ, frontalia ex vnguento populeonis ex pauco opio & croco præscribentur: lotiones manibus pedibusque adhibeantur ex papauere albo, nymphæa, lactuca cæterisque soporiferis; emulsio seminis melonis, papaueris albi, cum speciebus diamargariti frigidi in vsum ducatur. Somnus quoq; non sit nimius præsertim inualescente veneno, quòd beneficio huius intro ad viscera contendit. A motu corporis pax sit: ab omni perturbatione animi requies: mens esto hilaris, esto quieta. Multi sæpè peruenirent ad salutem nisi desperatione adacti, omnem spem vitæ ante tempus deponerent. Valde nocet omnis repletio, omnisq; immodica eximanitio: prodest alui soluti, quæ si sponte non suc-
cedat,

cedat, ea balano vel communi clystere procuretur. Aperta sunt quæ dixi, sed magis obscura quæ de potu ciboque ægrotantium tractantur, vtpote num vinum in his febribus concedere oporteat? Scio, Auditores, quòd si hodie vos iudices huius quæstionis fecerim, proculdubio magnam partem fore, quæ statim iudicabit ex virium repentinâ imbecillitate, ex febriculæ blando calore, Mosellanum propinandum esse, ne vires penitus cadant & superstites conseruentur: at ego vino abstinendum esse existimo, maximè in principio morbi, licet haud ferox esse videatur. Quid vulturi alas vultis addere, vt mentem magis commoueat? quid vehiculum suppeditatis quo virus citius ad regionem cordis deducatur? Quid flammam flammæ adijcitis & Pyraustam noxium fouetis & alitis? Ne tamen crudelis habear, facilè haustulum vini Olygophori ad vires recuperandas in progressu morbi concesserim, nisi ipsa Syncope *à* Gal. 12. Methodo med. prohibet.
magnitudine febris oriretur. Præstat aquam acetosæ stillatitiam, poscam, aquam hordei cum modico succo granatorum, Iulep rosatum cum aqua acetosæ, vel aquam hordei si vehementer sitis vrgeat, vel D. Ludouici Mercati consilio, aquam nitidissimam in qua aurum candens sæpius sit extinctum, bibere. Ad cibum quòd attinet, illa verior sententia est, vt inter multum & paucum ambigat. Cum forti Leone pugnatum est: collapsæ sunt vires: calor reliquus tam valens esse nequit vt multos

 cibos

2.Aph.10. *cibos conficiat. Corpora quoq; horum ægrotantium impura sunt, quæ quanto magis nutris, tanto magis lædis: Cibus enim interno inquinamento vitiatus auget morbi fomitem, & dominium ipsius amplificat. Paucus verò cibus, docente Aëtio ex Herodoto, prauitatem humorum exasperat, quàm ciborum attemperatione demulcere oportet. Si igitur vitellos ouorum cum modico aceto, Omphacio, vel succo citrij aut arantij, si consummata in aqua acetosæ, cardui benedicti, pullos gallinarum, pisces Saxatiles cum succo granatorum exhibueris, certè putredinem imminues, ægrotantem reficies, & venenatam vim castigabis. Enimuerò hæc diætetica panopliæ non est sola hosti grauissimo opponenda: cultris præterea opus est, sanguis effundendus, iugulanda est bestia antequam nos iugulet. Etenim si maculæ non appareant, si peticulæ adhuc delitescant quibus trepidant nonnihil Medici, quis non concludat sanguinem esse mittendum nisi vires obstiterint? Morbus in putridarum febrium censu est, Sanguis maximè veneni vehiculum, obstructio tollenda, ventilatio promouenda, portio sanguinis excludenda, ne totus sanguis, optimus vitæ thesaurus maleficâ vi contaminetur.*

Lib.5.cap. 129.

Chirurgia.

Lib.11. de methodo Med. Lib. 3. c.1.

Certissimus medendi Dux Galenus indifferenter in putridis febribus venam aperiri præcipit: AuenZoar inter Arabes Medicus iactat sanguinis missione se plurimos laborantes hac febre curasse: Doctiss. Mercurialis, Experientissimus

Mer-

Mercatus, Clariss. Rondeletius consentiūt. Non tamen quouis tempore, & in quacunq; corporis parte indiscriminatim celebranda est venæ sectio, sed delectus temporis lociq; habendus est, neq; tantùm sanguinis educi debet, vt vitam sed morbum tollas. In summis cæli caloribus quando Canicula fulget sobriè admodum vel omnino nihil sanguinis extrahendum est. Quòd Galenum Principem medicinæ docuisse, memini ad Glauconem me legere. Quis quoq; in febre pestilenti, post morbi principium quando corporis putredo inualuit, viresq; diminutæ sunt, tam audax Medicus erit, vt contra Hippocratem, qui in Critone curando abstinuit à venæ sectione, quia referente Galeno initio non fuit accersitus, audeat Phlebotomiam exercere? Quis quoq; in peticulari morbo, licèt sit morbi initium, licet vires constent, tantam copiam sanguinis ausus esset elidere, quantam febris magnitudo postularet? Non probo D. Mercati opinionem, qui nescio qua seueritate, venæ sectionem repeti cupit, Dandum est interim aliquid moribus gentis: Hispanus fuit: nos Belgæ, nos Germani mitiores sumus, & crudelem istam medicinam improbamus. Nunc si nulla sit mensium retentio, nulla hæmorrhoidum suppreßio, præstat venam basilicam dextri lateris vulnerare, sanguinemq; euacuandū profundere, vel Cephalicam vel venas pedum in dolore capitis reuulsionis gratia aperire, quam sedis vel malleoli venam tundere, quæ ad cohibitum sanguinē educendum

1. cap. 12.

3. Epid. com. 1. tit. 26.

Lib. 5. Cōsil. & Epist. Epist. ad Ioach. pag. 339.

meritò anteponitur. Leuis controuersia est de qua disputaui: grauior verò, an vena poßit aperiri post macularum vel exanthematum eruptionem, quæ doctißimos premit, & viros in operibus artis exercitatos cruciat. Quare oro vos, Viri Expertißimi, vt si in definiēda hac quæstione errem, cespiteq́ue me vestra doctrina instruatis, & certioribus argumentis in viam reuocetis: si verò rectè sentiam, me vestra auctoritate fulciatis, meamq́ue sententiam confirmetis. Illud tamen debeo dicere, me sentire cū doctißimis hominibus, Clarißimis doctrina & exercitatione Doctoribus, argumentisq́ue permoueri quæ, meo iudicio, rem pene demonstrant. Quis enim Herculem de Saxonia Professorem Medicinæ Patauinū celeberrimum, Vidum Vidium scriptis clarißimum, Ludouicum Mercatum Regis Hispaniarum Archiatrum, Alexandrum de Massaria expertißimū pro huiusmodi viris nō agnosceret? Hi omnes vnanimi consensu, non semper apertionem venæ post peticularum eruptionem, sed aliquando suadent, & penè necessariam esse arbitrantur. Non enim docent in debilibus, in senibus, in pueris sanguinem educendum esse si exanthemata corpus depinxerint, sed tuto id auxilij genus adhiberi existimant qui robore & ætate valent, quiq́ue copia sanguinis in vasis premuntur. Si verò absit sanguinis plenitudo quæ vasa distendat, merito cum iis à sacro hoc remedio abstinendum esse putamus. Eos autem qui venæ sectionem veluti periculosam damnant, virus exanthematum in hanc sententiam

per-

pertraxit, de quo metus est emißione sanguinis intrò deduci ad viscera, à quibus natura malum incœpit excludere. Hinc satius esse putant sudoriferis medicamentis motū naturæ adiuuandum esse, quam venæ sectione opus inceptum impedire. Enimuerò cum aduersarij nostri, nixi eodem quo nos fundamento, disputant, puta Medicum naturæ esse ministrum, quam in opere suo debet adiuuare, nos constanter auctoritate, ratione & experientia coacti affirmamus, venæ sectione in plethoricis corporibus eruptionem peticularum promoueri, nō retardari vel intrò reuocari. Quomodo.n.alioquin Galenus Medicinæ Dogmaticæ Princeps, vt apud eundem in libris Methodi medendi legimus, tuto venā in Carbunculo pestilēti secuisset? quomodo idē in parotidib. vt legere est apud eundem in libris de cōpositione medicamentorum secundū Loca fecisset? quomodo in exanthematib. cutis ab hoc sacro remedio in Epidemijs nō abstinuit? Huic auctoritati accedit insuper ratio, quæ petita è medio medicinæ nostram sententiā confirmat. Nam si natura stimulis mali agitata non valeat quòd inimicū est, propter copiam expellere, manifestè consequens est, eandē id posse facere, vbi grauantem plenitudinem deposuerit. Si verò causam regressus exanthematum diligentiùs animo cōplectamur, non est quòd metuamus, maculas apparentes denuò ad viscera redituras. Vasa .n. naturali quodam desiderio ad humores trahendos concitantur, vbi indigentia postulat: at cū venæ adhuc saturæ sint sanguine, deest tra-

ctio,

Lib.14.c. 10.

Lib.3.c.2.

2.in 6. Epide.t.30.

ctio, cum tractionis causa deficiat. In sudoribus ciendis frustra laboramus, vbi expultrix facultas plenitudine sanguinis impedita non possit fibras contrahere, quarum opera in expellendo indiget. Vesica Galeni iudicio propter vrinæ copiam, nequit eandem expellere, an non similiter venæ sanguine distentæ fibræq; in excretione impedientur? Illud tamen rotundè fatendum est, nos minime prodigos debere esse in sanguine profundendo, veluti magni quidam Medici scilicet faciunt, nec tam scrupulosos, vt syrupos oxymelitis simplicis, scyllitici cæterosq; per scrupulos dispensemus, nec tam indoctos vel imprudentes, vt radices Hellebori nigri arbitrio Pharmacopæorum præparandas, earumq; dosim sine morbi, temperamenti, causæ, & personarum cognitione ab iisdem definiendam, committamus. Et quia aliquoties in missione sanguinis peccatur, vt liberalius quàm par sit, educatur, hinc istæ ægrotantium mortes, Medicorum querelæ & contumeliæ, hinc sæpius in hoc morbi genere dissuasit Galenus venæ sectionem, vel vt accuratius loquar, eius immoderationem. Enimuerò si quis anxius de venæ sectione adhibenda propter virium iacturam deliberet, tutò potest cucurbitas cum scarificatione in vsum ducere, quarum beneficio Spiritus veneficus, calorq; feruidus à visceribus ad extimas partes retrahitur, vires non ita dissipãtur, & æger deniq; non tantum à febre lenticulari, sed ipsa peste vindicatur. Et sanè dũ pestilentia vehemẽs (*inquit Gale-*

Lib. 4. de locis affect. c. 4.

Lib. 4. de tuẽda valetud. c. 6. & cap. 10.

Galenus) Asiam deprehendisset, multosq́; perdidisset meq; etiam morbus attigisset, secunda morbi die, remissione febris factâ, crus scarificaui, duasq́; ferè sanguinis libras detraxi, hacq; de caussa periculum vitaui. Pleriq; igitur etiam alij hoc præsidio vsi superstites euasere, erant enim plenitudinis signa: illiq; præcipuè saluabantur, qui sanguinem copiosum exhauriebant. *Nobis tamen non licet esse ita prodigis, vt tantũ sanguinis ex nostris corporibus, quæ paulatim à vigore maiorum nostrorum defecerunt crudeles suffuremur. Interim non tantum dieta, Chirurgia, de quibus hactenus locuti sumus, sed insuper purgatio, sudoriferum alexipharmacum, Vomitorium, cæteraq́; id genus auxilia vsurpanda sunt, vt miserum ægrotantem faucibus lethi eripiamus. Purgandus est æger ante tertium diem D. Rondeletij Consilio: ante quartum iudicio Cratonis incomparabilis: ante septimum opinione egregij D. Mercati qui hic indulgentior, in venæ sectione crudelior est. Etenim si in morbis non pestilentibus, vbi materia turget, auctoritate Hippocratis, purgatio ab initio institui debet, quis non iudicat id hic faciendum esse statim, cum pestilens vis maiorem visceribus perniciem, quàm materia turgens accerseret? Hoc præceptum non parui æstimare oportet, quòd multorum hominũ sanguine nos Medici didicimus, obseruabimus. Non tamen suffecerit in principio morbi medicamentũ purgans exhibere,* Lib 5. Cõsiliorum medicin. consl. 28.

sed

sed delectus prætereà pharmaci habendus est, ne Rhinoceros ad pugnam prouocetur, ne pernicioso fluxu aluus ruat, idq́ue potentia vehementioris Pharmaci. Cauendum vnicè est ab Antimonio, à turbith minerali, à præcipitato Chirurgorum, à Scammonio, Euphorbio, imò ipsis communibus Rhababarbaro, Agarico, quod infusum in validis subinde admittitur, vt præsentaneum periculum euitemus. Si enim his acrioribus pharmacis naturam veluti equum generosum calcaribus irritemus, an aliud fieret quàm quod Poëta scripsit:

Virgil. lib. 1. Georgic. in fine.

Vt cū carceribus sese effudere quadrigæ,
Addunt se in spatia, & frustrà retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

Mollia placent: lenientia satagunt vt virus quòd sua spōte naturā lacessit, ab his expulsionis ducat initium. Prosunt igitur Cassia, Manna, Syrupus rosarū solutiuus, elect. lenitiuū, diascebesten, clyster molliens, præsertim si vēter durus sit caputq́ue veneno oppugnetur. Vomitoria deniq́ue leuiuscula si malum ex secundâ corporis regione in primam transferatur. Postremum id Consiliū placuit Archiatris Ludouico Mercato, Platero Felici, & Doctissimo Rondeletio qui rectè ex Hippocrate naturam eò ducendam esse censet, quo vergat. Vnde si maculæ erumpant, eas medicamento sudorifero promouebit Medicus, minimè humorum coctione expectatâ quam frustra requirit Alexander de Massaria, vir alioquin doctissimus vtpote qui non

cogi-

cogitat humorem venenatum expulſione potiùs quàm coctione à natura ſuperari debere. Etenim natura victrix morbi, non tantum humoris morbifici coctione, ſed venenati exclusione triumphat. Quis victoriam meritò culpet, quæ eiectione hoſtis acquiritur? Quis naturam reprehendat, quæ non dolo malo agit: at per rectas vias hoſtem venenatum expellit? Si morbis minimè peſtilentibus, propter periculi magnitudinem, Medicus humorum concoctione non expectata auxiliatrices manus adferat, cur ſecuro animo erimus in peſtilentibus, tardiores ad iuuandum in morbis qui citius ægrotantem iugulant? Cautio tamen adhibeatur, ne lædas naturam ſudoribus ciendis quam iuuare voles, quos depoſita plenitudine & obſtructione expedita, concitare oportet, non medicamentis validioribus quæ feruorẽ, ebullitionem, maiusq́; incendiũ humorũ efficiunt. Sed quæ moderatione quadam ſuum munus obeunt. Quare lapis Bezoardicus (quem quidam initio exhibitum prodeſſe, in augmento obeſſe volunt) cornu cerui vſtum, ſemen naui, citri, Spiritus vitrioli, decoctum fœniculi & laccæ, caricarum cũ rad. ſcorcioneræ, aut buglosſæ cõmendantur. Diaſcordium D. Fracaſtorii egregiũ eſt remedium ſi vis ipſius ignea ſucco citreorũ, & ſyrupo de bugloſſa caſtigetur. Interim ne longior ſim in recenſendis remedijs Epithemata, & Vnguenta cardiaca, potiones alexipharmacæ, aliaque in vſum ducantur quibus ſymptomatibus varijs obuiam ire debemus. Audiſtis igitur pano-

Lib. 5. cõſ. & Epiſt. pag. 365.

Syrupus de ſucco ſcordijs.

panopliam qua Medicorum Hercules instructus monstrum febris pestilentis domare potest: Copias explicuimus quibus non formidamus cum monstro horrendo confligere: Exercitum remediorũ exposuimus, cuius robore fisi aduersus belluam imus pugnatum, quæ fortes Capitaneos, Generosos Duces, imperterritos Principes crudeliter interficit. Laus est, febrem quotidianam, tertianam, cæterosq; morbos è corporibus humanis posse expellere, at diuinum est tutò iucundeq; pestem, febremq; pestilentem curare posse. Quis enim nisi sit ingenij diuini, virium astutia Vulpem, robore Leonem, pugnandique sollertia Rhinocerotem superabit? Quis domabit bestiam multiplicem, quàm nec verè lupum, nec canem, testudinem, cuculum, vulturem aliasq; feras possis dicere? Sed heu malum! quàm paucos hodie Medicos reperire licet, monstro triũphant qui de hoc victores ex pugnâ salutantur. Habent cultros, gladios, cucurbitas, cæteraq; id genus armorum: habent purgationes blandas & vehementes: habent Vomitoria, Clysteres, Sudorifera, & Alexipharmaca remedia quibus pugnatur, at nondum exercitati sunt pugiles vt cominus eminusq;, punctim, cæsimq; variaq; armorum dexteritatem hostem ferire poßint. Quid prosunt arma si rectè vti nequeas? Si Dauid es, depone arma Saul: vtere tuis præsidiis si aliorum non sis assuetus: nec aliorum panopliam contemne si nequeas eâ tuum corpus defendere.

DIXI.

ORATIO DE STVDIIS HIPPOCRATICIS CVM *Chymicis* coniungendis.

Habita ab

HERMANNO FOLLINO Phil. & Med. Doct. & Professore.

Dum lectiones Medicinæ auspicaretur Anno 1622. 6. Februarij.

ORATIO ALTERA.

S*I quid ingenij, doctrinæ, & eloquentiæ, in me esset, quod exiguum est*, Auditores Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi, Expertissimi, & Ornatissimi, *optarem ardenter, vt ea omnia felici quadam conspiratione in hoc Augusto virorum Academicorum consessu hodie vobis possim expromere, quibus veterum Medicorum auctoritas dignitasq; confirmanda est, & recentiorum splendor, nobilitasq; tuenda aduersus eos, qui non reformidant vetustam artis Hip-*

 pocra-

pocraticæ maiestatem plenis buccis contemnere, vel intolerabili quodam errore Chymicorum scientiam veluti ridiculam, vanam, futilemq; reijcere. Etenim non leuis est causa, quam defendendam suscepi, cuius multum interest Reip. Scholæq;, præsertim si oculos conijciamus in eorum auctoritatem, doctrinam, & grauitatem, qui in hoc negotio dissentiunt. Alij enim vnicè amant, explosa Chymicorum doctrina, quæ sapientissimus Hippocrates, vel peritissimus Galenus docuit, posterisq; litterarum monumentis consecrauit: Alij quotidiana voluptate & dulcedine capti, quam ex Anatomia corporum naturalium ignis beneficio percipiunt, ab Hippocraticis Medicis alieno sunt animo, quos parùm artifices esse existimant. Ita dum certatur, optandum esset, vt res cum re, argumentum cum argumento expenderetur, sed humani ingenij imbecillitate conuitia, calumniæ, abusus, cæteraq; id genus malorum, pro rationibus in medium afferuntur. Hinc magna pernicie Reip. factum est, & bonæ famæ iacturâ, vt qui se Galenicum nominet, alibi contemnatur, qui se Chymicum appellet, alibi velut indoctus, rerumq; medicarum imperitus reijciatur. Ego hodie quid de hac disceptatione sentiam tùm ratione officij mei, cùm vestræ vtilitatis, Auditores, libenter exponam, idq; facturus, auctoritatis, rationis, & experientiæ panoplia instructus, vt clarè intelligatur, quibus Medicis vita, salusq; ciuium concredi posset. Quod dum facio, oro vos, atq; obtestor, Auditores Ornatissimi, vt ani-

animo præsenti & candido rem totam altius mecum repetere & expendere dignemini.

Mea igitur opinio est, ne vos diu suspensos teneam, Hippocratem & Galenum Principes Medicinæ agnoscendos esse, in quorum scriptis qui versatus non sit, vel eorum methodum medendi absolutè contemnat, non Medicum esse sed maledicum, non artificem, sed carnificem, si Medicinam in Rep. vnquam exerceat. At hæc veterum doctrina tanti apud me non est, vt eandem putem ad summum perfectionis fastigium peruenisse, addi huic vel detrahi nihil posse, posteros eorum sua diligentia, artis exercitatione, & obseruatione nihil consecutos fuisse, quod ad artem nostram vel exornandam vel amplificandam faceret. Multa enim & præclara medicamenta nobis hodie ars Chymica suppeditat, quibus ad salutem ægrotantium vtimur, quæ nec Galenus, nec diuinus Hippocrates assecutus est. Magno cum iudicio Chymici artifices purum ab impuro, subtile à crasso, nobile ab ignobili, vtile ab inutili separant, vt curatio tanto iucundior & felicior euadat, quanto Medicamentorum præparatio operosior existit. Vtrosque igitur amo Galenicos & Chymicos: neutri eorum suas laudes derogare cupio, neutrius gloriam supprimere, vtrumque aduersus hostiles impetus defendere. Quid sodes possunt iniqui rerum æstimatores aduersus Hippocraticam & Galenicam doctrinam obijcere?

Nihil forsitan, nisi quod manca sit, quod adhuc imperfecta, & nauos quosdam habeat. Id libenter concedimus, habent reum confitentem; crescit enim ars indies, nec veteribus cancellis concludi semper potest, nihilominus tamen id proba inuenta non conuellit, axiomata nō eneruat, nec antiquam medicinam iugulat. Imitemur quasso Anatomicos, corpusq; Medicinæ Hippocraticæ exenteremus, neruos eiusdem quæramus, musculos inuestigemus, Bone Deus, quantum hic robur doctrinæ ostenditur! Hac admiratione raptus olim Macrobius has laudes effudit, vt quod ipse ignorauerit, post illum sciuerit nullus, & quod tàm fallere, quàm falli nesciuerit. *Etenim in eo est verborum pressa proprietas, sententiarum concisa subtilitas, sermonis veneranda antiquitas, & artificij commendabilis dignitas. Si mentem, oculosq; ad libros Aphorismorum conuertamus, hi tam neruosè, tamq; vtiliter sunt scripti, vt liceat nobis hic ferè idem dicere, quod de S. Ioannis Apocalypsi Theologi, videlicet tot penè mysteria, quot verba existere. In Coacis Prænotionibus est singularis, in Prædictionibus est diuinus, in Epidemijs lynceus, deniq; in cæteris ita magnus, vt à toto orbe terrarum semper medicinæ Princeps habitus fuerit. Rectè enim antiquissimus Soranus scripsit*, Medicinam inuenit Apollo, amplificauit Æsculapius, perfecit Hippocrates. *Cum id temporis medicina tantum constaret experimentis fallacibus, vsibus incertis, & remediorum generibus*

In Præfatione Isagoges.

ribus

bus, quæ curatio brutorum animalium docuerat, certè sapientissimus artifex requirebatur, qui adolescentem doctrinam posset perficere. Non satis erat animaduertisse, quod Hippopotamus plenus sanguine, affrictu spinarum copiam eius è venis excluderet: quod Ibis auis iniecta intestinis muria per rostrum, saburram ventris deponeret: quodq; Chelidoniam hirundines celebrem efficerent, accipitres Hieracium, Ciconia origanum, rutam mustela, hederam apri, fœniculum deniq; anguis demonstrarent, sed ratione & prudentia opus erat, quò vtiliter & cum fructu remedia, quæ quibusdam profuere in vsum duci poterant. Sicut enim vnum collyrium nequit vitia cuncta oculi persanare, vel vnus calceus omnium pedi accommodari, sic neq; vnum medicamentum omnibus prodesse possit, licet morbis eiusdem generis affligantur. Quare oportuit, vt diuini senis verbis vtar, Sapientiam transferre ad Medicinam, & Medicinam vicissim ad sapientiam: Medicus enim Philosophus, Deo est similis. *Nam veluti Deus Opt. Max. nunquam labitur aut cespitat in suis operibus, sic Medicus sapientiæ panoplia instructus ad similitudinem diuini numinis, morbum ægrotantis rectè cognoscit, aptum medicamentum eligit, & pro diuersitate temperamenti, sexus, virium & partium eundem sine errore annititur profligare. Sic sensim cognitio medica ad fastigium scientiæ surrexit, quæ suis demonstrationibus & energiâ per sapientiam*

Lib. de decenti habitu.

Hippocrates ingentem sibi gloriam & immortalitatem comparauit. Id certè euidens sapientiæ iudicium est, quod primus elementa qualitatum, calidi nimirum, frigidi, humidi ac sicci notionibus indigetauerit, aëris & aquæ conditiones explicauerit, naturam definiuerit, fœtuum formationem tradiderit, ex temporum mutatione venturos morbos præmonuerit, idæam eorundem prædixerit, denique salutem vel interitum ægrotantium præsenserit. Nec id prætereundum est quod Aristoteles Philosophorum Princeps, Prudentiæ oculus, & dux multa ab eo mutuari non erubuerit. Cæterum quia non dubito, Auditores, quin communi suffragio probaturi sitis Damasceni opinionem: Medicum efficacem esse oportere in opere, non loquacem in sermone, *rectè mihi videor facturus, si doceam nostrum Hippocratem vt eloquio, sic similiter operibus magnum extitisse. An ob aliud quippiam, Thessaliæ, Macedoniæ, ac Thraciæ seruator fuit dictus, quam propter infinitos homines, quos letho sua arte eripuit? An propter alias causas magnus Persarum Rex Artaxerxes celebritate nominis Hippocratici excitatus, eum ad se vocari iussit, quàm propter felicitatem artis medicæ, de quâ Græcum exstat elogium, latinis verbis sic redditum:* Hippocrates lumen fuit, & saluauit populorum gentes, & mortuórum fuit raritas in inferno? *Audiuit istas acclamationes sibi fieri à populo Abderitano dum ad Democritum sanandum contenderet:* O Iupiter seruato, adiuuato,

In Epist. Hipp.

to, medicato. *Concipite sodes animis vestris quos tunc applausus, quæ lætitiæ argumenta, quas sibi gratulationes audiuit & vidit fieri, vbi non vnum hominem, non pagum aliquem, non vnam ciuitatem, sed totam Græciam à peste sæuissimâ liberauerit, vindicauerit & incolumitati reddiderit? Quid [illegible]lta? Athenienses sapientissimi homines propt[illegible] [illegible]gularia in Remp. merita ciuitate Hippocratem viuum donarunt, publicèq; eum in Curia Prytaneoue nutricari constituerunt, & mortem Græcis versibus, quos sic Latinitati donauit Morus, condecorarunt.*

Thessalus Hippocrates Cous genere, hac iacet vrnâ
 Phæbi immortalis semine progenitus.
Crebra trophęa tulit morborum, armis Medicinę,
 Laus cui magna, nec id sorte, sed arte fuit.

Quare non immeritò hunc virum Plato Æsculapij successorem: Galenus veracem, Magnum, Probum, Philosophorum omnium ac Medicorum Principem, Magistrum diligentißimum, nobilißimum ducem, disciplinarum auctorem maximè admirandum, senem, virumq; venerandum nominat. An hæc laus & gloria cum Hippocrate mortua fuit? an vtilitas artis & liberalitas hominum erga artifices à fato principis desijt? Minimè gentium: cum doctrina Hippocratis laudes, gloria, & vtilitas perennant. Thessalus ab Atheniensibus aurea corona donatus est. Democedas Medicus à Dario, propter restitutam sanitatem duo paria aureorum compedum, & ab eius vxoribus phialas aureas dono accepit. Claudius Galenus fidelißimus Hip-

In oratione quæ legatio dicitur. Herodotus in Thalia.

pocratis interpres, anima principis, medicinæ parens fœcundißimus Romæ propter artis felicitatem, non tantum scriptis clarißimus, sed ei posita statua æternum nomen consecutus est. Augustus Imperator Musæ liberto à quo restitutus erat sanitati, æream statuam Æsculapij signo vicinam erexit, totiq; medicorum familiæ immunitatem ciuilium munerum concessit. Iulius Cæsar omnes Medicinæ Professores ciuitate donauit. Suetonius. *Sed quid vetera commemoro, cum sint in memoriâ nostrâ Cocterij, Garciates, Petronij, Mercuriales, Capivaccij, Vallesij qui omnes fælicitate artis Hippocraticæ diuitias, gloriam, & immortale nomen sibi pepererunt? Cominæus mihi auctor est Iacobum Cocterium Gallum, Ludouici Francorum Regis, eius nominis vndecimi Medicum, decem millia aureorum singulis mensibus pro mercede accepisse. Garcias ab horto Medicus excellentißimus à rege quodam Indorum duodecim millia dalerorũ Germanicorum, veluti sostrum vnius morbi consecutus est. Philippus secundus gloriosæ memoriæ Hispaniarum Rex, Archiatro suo Francisco Vallesio ob febriculam septem dierum spatio profligatam, præter annuum stipendium amplißimum, sex aureorum millia dono transmisit. Verè igitur illud Ecclesiastici Medicis Hippocraticis accommodatur:* Cap. 38. Honora Medicum, propter necessitatem, etenim illum creauit Altissimus. A Deo est enim omnis medela & à Rege accipiet donationem. Disciplina Medi-

Medici exaltabit caput eius & in conspectu Magnatum collaudabitur. *Quæ cum ita sint, Auditores, satis mirari nequeo quorundam mortalium vel temeritatem in contemnenda vetustate artis Hippocraticæ, vel si mitius loqui velim, crassam ignorantiam, vt non videant illam veram esse Medicinã, quæ à tot retro actis seculis per Europam, Asiam, aliasq; orbis partes in Cathedris scholisq; paßim neruosè doceri, in Rep. vtiliter exerceri, à Regibus, populoq; reuerenter coli & suspici consueuit. Fateor ingenuè, habent illi, quæ possunt obijcere, sed tamen talia non sunt, quæ maiestatem artis proculcant. Aiunt Plinianâ auctoritate moti, Romanos prudentia duces olim Medicos vrbe expulisse, vnde medicinam haud magni faciendam esse arbitrantur. Graue crimen est Misomedice, quod nobis impingis, sed vide sodes quos hoc gladio vulneras? Anne putas quod veros Medicos hac oratione cruentaueris? quod Hippocraticos iusto conuitio laceraueris? Vbi tua mens? Vbi oculi? Nonne vides istos, pestilentes Iudæos fuisse, quibus nos hic etiam vexamur, qui nihil habent, vt multum dent: Circulatores Thrasonicos, Scurras Ioannes Pottagios, qui ex vna olla cunctorum affectuum medicamenta depromunt, circumforaneos bullatos, quibus forum nostrum festo S. Theophoriæ plenum est, histriones insulsos, Pseudochymicos subdolos, Magistellos omni Philosophia nudos, Barbæ tonsores sciolos, Clinicos superciliosos, magomedicastros, cingaros, carnifices, quos nu-*

Plinius li. 29. Histor. Naturalis.

 per

per in foro vt populum carnificarent, æquis oculis aspicere debuimus, deniq; sceleratam manum fuisse, quæ hodierno die passim miserum vulgus, & interdum graues viros non tantum argento emungit, sed vita priuat? Vtinam Romanorum exemplo, ipsorum Colonia hanc pestem hominum in exilium relegaret, ne periculis bonorum ciuium posset discere & per experimenta mortes agere, *fælicius & fortunatius ageretur cum Rep. in qua clam hominem occidisse summa impunitas habetur. Cum hic manipulus pseudomedicorum Romam confluxisset, tum peritissimus noster Galenus ibidem vixit non absq; horum ardelionum odio (commune vitium est vt indocti doctioribus inuideant) quos sæpè oratione suâ, sæpius artificio strauit, vicit, superauit. Exiguum putat esse Misomedicus quod dixit, maius esse quod sequitur. Quomodo (inquit) Medicos laudare possem Hippocraticos, siue Galenicos, quomodo meam vitam ipsis credere, qui non curant morbos eloquio, sed medicamento, quod ab aliis traditum, idem an diuersum, à Pharmacopæis præparatum benè vel malè, integrum viribus aut languidum nequeunt asserere? Magni momenti est, Auditores, quod obijcitur, si Pharmacopæus sit vir indoctus, prauiq; ingenij, parui, si probitate & doctrinâ excellat. Sed heu calamitas! quibus hodie turpis illa vox Vespasiani Cæsaris non placet?* Lucri bonus odor ex re qualibet. *Volo dicere sed cum mœrore animi dico, quotusquiq; hodie Pharmacopæorum ita officium facit*

Plinius loco citato.

Libr. de præcog. ad Posthumā cap. 4. lib. de facult. purg. cap. vltimo.

sicut

ſicut ratio, charitas proximi, & ſcientia artis poſtulat? Alij enim illotis manibus ad hanc artẽ tractandam accedunt. Alij, ſi fideliter artẽ calleant, ita credunt & viuunt vt Dei præcepta negligãt: quæ ſi temnant quanto magis audebunt leges hominum, præcepta Medicorum flocci facere, curamq; ægrotantiũ deponere? Hinc oritur illa audacia vt falcẽ in alienam meſſem iaciãt, ſæpiusq; ſe dominos faciant cũ ſint miniſtri, Medicos cum Pharmacopæi: hinc negligẽtia originem habet, vt quod ipſimet debent componere, rudioribus famulis, vel vxoribus committant: hinc fit vt non erubeſcant ἀντιβαλλεῖν, ſi medicamento præſcripto careant, ne lucrũ paulò maius eripiatur. Piget me plura dicere, debeo tamen dicere, vt communi ſaluti, totiq; Reip. conſulatur. Medicamẽta aliquando ab Indis, Perſis, Græcis, Arabibus atq; extremis Garamanthis aduecta, quæ vel teredo exedit, vel tempus extenuauit, vel ſitus diuturnus emedullauit, pro integris atq; incorruptis venduntur. Si forſitan in coquendo, vel præparando peccatum fuerit, vireſq; deſideratas non habeat, nihilominus id quaſi perfectum ex officina Medico præſcribenti obtruditur. Si noſtræ mulieres in elixandis ouis ſubinde peccent, vt vel nimis mollicula vel dura ſint, an non ſimiliter artifex noſter ſubinde in opere ſuo ceſpitat? attamen bono odore lucri compulſus non reformidat rem fœtidam diuendere. Omitto nunc quod auaritia excæcati, miſeram plebem pecunia emungant, exigendo plus pro medicamento, quam par eſt, vt curationem morbi præ ino-

inopia nequeat persequi, Satis dixi, Misomedice, & quæ dixi non vitia artis, sed hominum sunt: quorum inscitiam, negligentiam, audaciam, & auaritiam, vos oro atq; obtestor ô viri consulares, propter communem salutem ciuium, propter priuatam vitæ conseruationem, propter artis nostræ splendorem, vt radicitus auerruncetis, extirpetis. Plura sunt alia crimina, quæ Misomedicus aduersus Hippocraticam doctrinam euomit, sed similis farinæ, quæ non in artem, non in rectam medicinam cadunt, sed in homines, quibus haud relligio est sacra profanis, vera falsis, paradoxa receptis opinionibus miscere. Non enim hosce nouos Vromanticos fecit veracissimus Hippocrates, qui ex sola vrinæ inspectione omnia morborum genera cognoscere, decreta salutis aut mortis fideliter explicare, consilia sanitatis recuperandæ præscribere pollicentur: non docuit venerandus Senex discipulos suos amuletum istud Odontalgicum: Galbes, Galbat Galde, Galda: *non reliquit sapientissimus artifex posteris suis ista deliramenta, quæ Trallianus, Marcellus Empiricus, Gordonius Valescus, aliiq; id genus ad Epilepsiam, ophtalmiam, cæterosq; morbos pellendos auribus insusurrant. Vtinam hic finis querelarum esset, sed proh dolor, itum est ad Magiam, quæ hodie prætextu Sympathiæ & Antipathiæ rerum naturalium defenditur. Quid enim aliud est telungium, quàm execrabile dæmonis inuentum? mirabilis hic esset, rerum proprietas quod linimentum pugioni inunctum*

ab apice manubrium versus benefaceret, & à manubrio apicem versus grauiter vulnerato offi ceret. Sed abeamus ab his nugis, quibus ars vera non polluitur: manet veritas inter mille mendacia, inter mille dolos perennabit medicina Hippocratica, quæ Deum habet auctorem, quam genuit Ratio & Experientia, synceros suos cultores præmijs & honoribus afficit. Rodolphus Goclenius in lib. suo de vnguento armario. *Hæc cum ita sese habeant, quis non videt, verißimum esse, qui doctrinam Hippocratis contemnit, non artificem sed carnificem esse, qui nudus hac arte morborum curationem aggreditur? Si quis imperitus artis Sutoriæ corium perdit, ex quo calceos formare tentat, an non audaculus ille per imperitiam & artis sacræ ignorationem hominem instar carnificis occidet, quem præter rationem officij curandum suscipit? Non enim* ligna sunt neque lutum, neque corium quibus medemur (*ait bonus Damascenus*) sed tenuioris & pretiosioris essentiæ, opificium Dei, homo videlicet in quo lapsus procliuis quidem, sed admodum periculosus, qui sæpè ad interitum terminatur. 10. Aphor. *Nunc me conuerto ad alteram orationis meæ partem, in quâ docebo breuißimè Chymicos non vituperio, sed laude dignos esse, non inimicos arti Hippocraticæ, sed amicos fideles existere.* Transitio. *Hodie tanta cæcitas est mortalium, Auditores, vt audito nomine præstantißimæ artis Chymicæ, incipiant eandem conuitijs laceßere, faciantq; non secus, quam malitiosi isti homines, de quibus S. Iudas Apostolus conqueritur:*

Epist. Iud. vers. 10. *ritur:* Hi autem quæcunque quidem ignorant, blasphemant.

Argumẽtum à definitione. *Quomodo enim alioquin posset Chymicum contemnere, qui purum ab impuro separat, crassum à subtili, balsamum à stercore, substantiam à cadauere: qui non patitur vt medicamentum Helleboratum, Scammoneatum, Euphorbianum, Colocynthiacum, Opiatum corporibus humanis ingeratur, priusquam perniciosa vis veneni deposita fuerit, deniq; Vulcani beneficio mixtorum corpora euiscerat, vt sensu constare poßit, ex quibus vnumquodque componatur? Dic mihi sodes, Misochymice, si Galenicus te ad prandium vocasset, tibiq; primum ferculum pollicitus fuisset, mesenterium animalis plenum adhuc ciborum relliquijs, sed coctum diligenter, Sacchariq; dulcedine conditum, rogo vtrum conuiua, vel domi manere malles? Hic lupum auribus tenes, hæres, ambigis. Si mecum sentias, mallem atro pane vesci, quàm ad huiusmodi prandium accedere: pura me afficiunt, quisquilias odi. Quod si sanus & integer corpore alimenta plena fecibus, licet sint mellita, non cupis attingere, quare ægrotus insueta tibi medicamenta, quæ scatent impuritatibus deuorare non reformidas? O stultitiam! Putasne te robustiorem & valentiorem esse in perferendis medicamentis, quàm alimentis, in morbo quàm in prospera valetudine? Imitare Galenicos, qui suis ægrotantibus ob naturæ imbecillitatem,*

non

non solidam carnem, sed eius succum, vel eius loco iuscula & gelatinas pro alimentis exhibent: An nobis non licet esse ita sollicitis in propinandis medicamentis, quæ partim insita sua vi, partim copiâ impuritatum ægrum obruerent? Tales enim Medici, Plutarchi iudicio, non aliud faciunt, quàm quod consueta & cognata corporis excrementa eliciant, inijciant verò in corpus indefecatas Pharmacorum turbas, quæ magis expiatione indigent, quàm quod ritè hominem expurgare queant. Quis pleno ore iniuriam non prædicaret, si Magistratus noster ciues Colonienses vrbe expelleret, alienos & aduenas admitteret? Si proscriptis vestris amicis, cognatis, & familiaribus Coloniam antiquam, nouis hominibus Hispanis, Gallis, cæterisque nationibus implere cuperet? Quod si naturæ laboriosum, molestumque sit bibere medicinas à veneno & impuritatibus immunes, vt Princeps Arabicæ medicinæ existimat, nemo non videt, quantum molestiæ ægrotanti, oblatione impurioris pharmaci, exhibeamus. Vnde discamus potius à rusticis, qui lumine naturæ edocti, granum à paleis, vinum à vinaceis separant: discamus à pistoribus qui frumentum prius mola attritum, hinc à furfuribus liberatum, postea fermento & aqua subactum in panem commutant. Quanquam verò panificium tanta industria, tantoque sudore præparetur, nihilominus internus humani corporis Chymicus,

Libr. de præceptis salutaribus.

Auicenna lib.1.fen. 3.doct. 2. cap.1.

labo-

laborioſa hac præparatione non contentus dentibus, quaſi noua mola cibos oblatos comminuit, heterogeneos humores ſeparat, triplicisq́; concoctionis excrementa expellit. Vnde liquet, Auditores, quod hæc ars ab hominibus non ſit propriè inuenta, ſed nobiſcum nata, quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex ipſa natura arripuimus, hauſimus, expreſſimus: quam non docti ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti cognouimus. Quid enim certius argumentum eſſe poteſt, quam quod deprcmptum è ſacris literis, docet Tubalcain (Gentilium Vulcain) filium Lamech in ipſo mundi ortu fabrum ærarium, ferrariumque fuiſſe, qui ex ære, ferroq́; opera procuderit? Non enim æs & ferrum ita ex terra progerminant, vt ſine beneficio artis Metallurgicæ ferri & æris excoquendi artificibus inſeruire poſſint. Hinc ſucceſſit Hermes Triſmegiſtus omnium Philoſophorum Pater, qui tabulam Smaragdinam, de opere lapidis Philoſophorum poſteritati conſecrauit: hinc ſuſcepta eſt expeditio Argonautica in Colchidem ad tollendum aureum vellus, quod Suida interprete, nihil aliud eſt quam liber in velleribus conſcriptus, qui artificium faciendi auri continebat: hinc ſtatim Democritus ipſius naturæ genius, Salomon ſapientiſſimus, Iulius firmicus Aſtrologiæ lumen, Heliodorus prudentiſſimus, Almanſor Rex Hiſpaniæ potentiſſimus, Bulcaſis laborioſiſſimus, & Meſue nobiliſſimus, omnes auctores Chymiæ ingenioſiſſimi ſubſecuti ſunt. Quid opus eſt Albertos magnos, Raymun-

Alluſio ad dictum Ciceronis in Milone.

Raymundos Lullios, Auicennas, Vlstadios, Paracelsos, Syluios, Fernelios, Rulandos, Turquetos, Haruetos, Quercetanos, Hartmannos, Birckmannos, Cratones, Andernacos, Frambesarios, aliosq; infinitos recensere, qui scriptis & operibus artem Chymicam commendarunt? Ipsa per se satis fulget, præconio Ciceroniano haud opus est: Illud tamen præterire nec volo, nec debeo, quod libris Meteorum naturæ doctor Aristoteles, rationem conficiendi sales ex plantis planissimè docuerit: quod Galenus, Paulus Ægineta, Aëtius Hippocraticæ Medicinæ propugnatores acerrimi, Sales Theriacales modumq; calcinandi agnouerint, probauerint: Certè quo iure, qua lege, quibus rationibus, ex schola medica artem Chymicam, quæ separationem puri ab impuro profitetur, quod inest omnibus corporibus mixtis, relegabimus? Audite sodes Galenum docentem:

Lib. 2. ca. 3.
Lib. de Theriaca ad Pisonē cap. 31.
Lib. 7. cap. 11. libr. tetra. 4. ser. 1. c. 97.

Vinum namque diximus, vnum quidem habere in se recrementum crassarum partium, vnde dum temporis spatio secernitur, ferturque deorsum, fex consistit: Aliud verò secundum quod florem nuncupant, quod dum vinum feruet, supernatat, sed postea ad fæces subsidit: tertium aqueum, quod toti vino permistum est: hoc primò potissimumq; feruet: quartum præter hæc est ipsum, reuera vinum. Ostensum verò etiam est, quod tam in oleo: tum in lacte, tum in alijs omnibus succis eadem sit recrementorum natura,

Libr. 4. simpl. c. 3.

 mul-

multoque magis in totis plantis, metallicisque omnibus. *An non hic Galenum clarè Chymicum agnoscitis, qui in quouis corpore vegetabili, animali, & metallico, varias substantias arte, veluti naturæ simia, separabiles, demonstrauit? Quod si Medicinam Hippocraticam, Dominam & Imperatricem æstimemus, quæso non simus tam aduerso animo, vt eidem Chymiam veluti legitimam eius ancillam inuideamus. Pedissequam facimus Chymiam, non heram, subsequi debet, non præire. Pharmacopæus in familia medica recipitur, Chymicus excluditur, vterque minister est: at hic nobilis, ille ignobilis: hic iucundus est, subtilis, purus, ille molestus, crassus & sordidus. Iniuria, mehercule, insignis est quam perpeti non debemus.*

Confutatio.

Quæ cum dico, videor mihi audire voces clamantium, Quid agis Chymicorum Præco? Cur nouam hanc artem laudas? Cur artifices huius extollis, qui paßim Antimonium, Laudanum opiatum, oleum vitrioli corrosiuum, aurum potabile, vel potius putabile, aliaque id genus medicamenta Metallica & perniciosa cum Paracelso Mago vsurpare non reformidant? Sed hoc plaustro conuitiorum non moueor, his vocibus haud percellor, quas ira potius, quàm ratio extorsit. Cur noua ars, nouis hominibus non placet? Temporibus maiorum nostrorum non viximus, nunc spiritum trahimus: nos tam firmos lacertos non habemus in senescente

ſcente mundo, quam qui nati ſunt in adoleſcente: caremus Archeo tam potente, ſtomachos iſtos Struthionis optamus, ſed non habemus vt Helleborum cum maioribus aliaq́; medicamenta impuriora, concoquere poſſemus. Hinc delicatioribus molliora & ſuauiora remedia neceßitas, & ars excogitauit. Si nulla noua tibi placeant Miſochymice, (quamuis hæc ars noua non ſit) facilè poteris animo tuo obſequi & nouas domos, ſi quas habes, cum ruinam minantibus, nouas veſtes cum laceris, nouam ſupellectilem cum detritâ Tuitij permutare. Iam verò quod ad Antimonium attinet, cuius audito nomine, quidam mortales toto animo & corpore ſolent perhorreſcere, fateor medicamentum periculoſum eſſe, ſi veneno non ſpolietur, ſi ab imperito perperam exhibeatur, imò gladius erit manibus furioſi concreditus. Mactabit huiuſmodi homo, non defendet: occidet, non proteget: lædet, non ſanabit. At artifex Vulcani beneficio nouit hunc hoſtem domare, & lupum crudelem in placidam ouem conuertere. Multa enim ignis commercio (vt peritiſſimi Galeni verbis vtar) meliora redduntur: multa in arte medicamenta quam diu veterem ipſorum naturam retinent, acerrima ſunt, & corporibus inimica: domita verò ignis neceſſitate, curationi fiunt congrua. *Si Theriacam non damnemus propter viperas quas continet: Si Helleborum, Mezereum, Scammonium pro-*

Libr. de Theriaca ad Piſon. cap. 32.

pter rudis Mineruæ correctionem non formidemus, si à fungis, ranisq; venenatis pro alimento non abhorreamus, quo iure? qua lege? Sacrum Stibium artifici manu præparatum, à veneno liberatum, potentißimum aduersus morbos remedium vsibus Medicis interdicemus? Ego omißis *Mathioli de hoc medicamento laudibus cum celeberrimo Doctore Galenico Alexandro de Massaria ita iudicandum esse existimo:* Si Antimonium probè fuerit præparatum, si à perito Medico opportunè & cum ratione administretur non temnendum, sed venerandum ac salutare remedium esse, & plurimorum hominum admiratione grauissimos morbos propulsare: si verò ab imperito Medico, & temerè offeratur, tanquam venenum pericula, & quandoque mortem inferre. *Certè nimis rusticum est si quis vulneretur, gladium velle accusare, non vulnerantem: nimis caninum est os admordere velle, quo quis impetitur, & non proijcientem: Nimis Cyclopicum est, totum cœlum euertere velle, si qua Diuorum gentilitium labes deprehenditur. Vbi iam es, Misochymice, num tibi verum an falsum videor dicere? forsitan vrgebis quod Galenica remedia sine periculo vsurpari possent, ac ideo Chymicis præferri debere. Vestram fidem hic appello, Galenici, dicite sodes num periculo careant vestra veratra, peplia, Cantharides, Elaterium, Scammonium, Ranunculus, Thapsia, Calocyn-*

Alex. de Mass. de purgantib. med. c. 30.

locynthis, granum Cnidium, Euphorbium? an nemo his abuti posset? O inertem artem! O Medicinam facilem quam quilibet dextrè, peritè, & sine periculo, vir ac mulier, senex ac iuuenis, doctus atq; indoctus tractare atq; exercere posset! Hæc dum audio, videor mihi intelligere, aduersarios nostros velle dicere: omnia medicamenta vulgaria, benigna: Chymica verò acerrima & humano corpori hostilia esse, quod quàm absurdum sit, iam neminem vestrum ignorare existimo. Comparate sodes pharmaca ista valentiora, quæ modo nominaui Galenicorum, cum Chymicis Antimonialibus, Mercurialibus, Saturninis, cæterisq;, & benigniora cum benignis conferte, non dubito, quin omnes mecum puriorem Mannam impuræ, defecatam Aloen sordida, Scammonium pellucidum, Diagridio feculento sitis præposituri. Culpatur Laudanum, Laudatur Philonium: in eo puritas est Opij, in hoc Euphorbium causticum & Opium venenatum coeunt: in illo Narcotica facultas & acrimonia Opij lenitur: in hoc virus opiatum acerrimi Euphorbij consortio exasperatur. Vbi hæc argumenta proferuntur, mutata animi voluntate, aduersarij Laudanum laudatum remedium esse confitentur, sed requirunt peritum artificem, quasi verò Galenica ars ab imperito exerceri, quasi verò imperitia vtentis medicamento imputari debeat. Valeant ergò narrationes de Pseudochymicis institutæ, vt artem labefactemus: maneant in ho-

nore medicamenta, quæ à veris Medicis exhibita, multis fuere præsidio. Si nemo vinum propter ebrios fastidiat, cur Chymiam propter Pseudochymicos contemnitis? Eadem sunt remedia, quæ vterq; Medicus Galenicus & Chymicus vsurpat: non semper ille Caßiam, sed sæpè Colocynthidem acerrimam exhibet, neque hic semper Antimonium vel Mercurium artificiosè præparatum ægrotantibus deuorandum præbet, neque ipse ignorat, Extremis malis extrema tantum esse exhibenda remedia, *at frequenter Extractum Caßiæ, Mannæ, Tamarindorum, Rhabarbari, similiumque præscribit, quibus tertia parte drachmæ tantum efficit, quantum integra alij, qui Medicamenta sine separatione sordium deglutiri præcipiunt. Vnde Pharmacopæus (cui suus mos est Medicamenta corrigendi) similis mihi videtur esse insulsis mulierculis, quæ fœtorem cubiculi thure, myrrha, Styrace, tædáq; odoriferis, relicto animalis excremento, student tollere: At Chymicus prudentior foribus eijcit quisquilias, odore nihil, sed nitore vnumquodque castigat. Similibus planè arietibus Oleum vitrioli impugnatur: vsus propter abusum damnatur. Rodit vitriolum, hinc certum ei exilium: Non rodit, hinc certa libertas. Vt tinctores panni lanei & serici nigri immoderato vitrioli vsu pannum non tingunt, sed adurunt, sic medicus vitrioli præpostero vsu non proficiet, sed officiet. Quod si vitriolum nunquam*

Hipp. lib. 1. Aph. 6.

in vsum duci debeat, quare Andromachi Theriaca id crudum recipit? Non omne quod corrodit protinus ex officina medica relegandum est: sic vino vtendum non esset, propter tartarum, quod æs & argentum corrodat: Sic sale communi abstinendum foret, quo corpus humanum conseruatur, quia ferrum, æs, stannum, & plumbum corrodit, atq; adeò argentum viuum præcipitat: relinquendum esset mel, quod Galenus dicit esse acerrimum, succus limonum, & acetum, quibus homo carere non posset. Nunc verò bone Deus! quas technas? quos dolos Pseudochymicorum in medium non proferimus, vt hominum nequitia potentiam & maiestatem Auri potabilis eneruemus? sæpè repetitum est, quod culpa artificis in artem iustè deriuari nequeat. *Quod si temperatissimus hic Salamandra Metallicus, Chymicorum Sol, Leo ruber, & Mineralium pater ob infinitas ipsius vires in* Lætificante Galeni, Aurea Alexandrina Nicolai, Diathamaron, confectionibus Alkermes, Hyacynthi, Cordialis Alexandri Benedicti, Elect. de gemmis calidis & frigidis, *cæterisq; pluribus Antidotis integer recipiatur, quare nobis non licet certo artificio eundem potabilem reddere, vt igne humani corporis interno vinci ac superari possit? Tale fuit aurum illud Arnoldi de Villa noua, quo Regis Neapolitani filium leprosum sanitati restituit: tale fuit Azoth Para-*

Lib. 1. de Antid. c. 7.

celsi quo lepram, Hydropem, & Podagram sustulit: tale est hodie aurum Francisci Antonij Londinensis in Medicina Doctoris excellentißimi, qui sacra hac medicina desperatæ salutis & moribundos ad vitam reuocat. Postremum celeberrimus D. Hartmannus testatur: Clarißimus D. Mosanus Archiater expertus est: Doctißimus Henricus Petræus Marpurgensis Medicinæ Professor, cum fructu admirabili probauit. Non creditis forsitan Misochymici, eò quod existimetis cuncta metalla nobis esse inimica, & naturæ nostræ haud congrua sed videte sodes in qua schola, & apud quos ita disputatis? An non apud Colonienses, qui probè inter alimenta, & medicamenta nouerunt discernere? Fatemur quod metalla in optimum naturæ succum, aut sanguinem purißimum, ex quo robur est, minimè mutentur, quod alimentorum est proprium, an ideò medicamenta esse desinunt? si Medicamenta sint quibus, auctore Galeno, ingenitum est, vt substantiam nostram alterent, quid mirum, si naturæ nostræ vt talia, inimica habeantur, quanquam in genere Medicamentorum nobis familiaria esse poßint. Suffecerit vnicum plumbum ante oculos posuisse, quod licet nostram substantiam non augeat, tamen aliquot annos in corpore humano innoxiè hæret, locumque sine vllâ partium offensione commutat. Nuper in Silesiaco puero dentem aureum natura produxit: olim Albertus Magnus, Philosophiæ decus, aurum inter suturas cranij humani reperit: hodie in Monomotapæ re-

Li. 1. simp. Med. c. 1.

gione

gione ipsi arborum trunci auri feraces conspiciuntur. Quod si locus rerum quasi alter parens sit, quis tam cœcus est, vt non solum inter hominẽ & metalla familiaritatem & arctam cognationem videat, sed inter triplicia corpora vegetabilia, animalia & Mineralia admirandam naturarum societatem non contempletur? De Paracelso multa dicere quid opus est? Paracelsiæ negotium hic non agitur, sed Chymiæ: Paracelsi causam non defendimus, sed Chymicorum patrocinium suscepimus. Paracelsus esto Magus: esto impius: esto impostor, nihilominus suis Magicis inuentis, superstitiosa doctrina, monstrosis opinionibus artem non contaminauit. Si quid hic, aut ille delirauit, quid hoc ad puritatem veritatemq; artis integerrimæ facit? Multa licet in eo sint absurda, ridicula, somnijs simillima, imò Magica & quæ SS. Ecclesia damnat, qualia sunt de viribus imaginationis, de Magnetismo, de Generatione homunculi ex pane & vino aut semine in furnulo arcanorum, similisq; farina pluribus, nihilominus tamen fuit malleus medicorum, Pharmaciæ restaurator, & Hippocraticæ doctrinæ fautor & amator. Quantus verò in re medica extiterit artifex λογῷ καὶ ἔργῳ demonstrauit. An non eximia sunt, quæ in Chirurgia scripsit? nonne pulchra quæ in Archidoxis tradidit? nonne vtilia quæ de Helleboro, Persicaria, Hyperico-ne, Sulphure, Tartaro, peste, Carduo Angelico, alijsq; posteritati consecrauit? Propter errores non reijcimus Aristotelem: propter impietatem non dam-

damnamus Porphyrium , cur Germanum nostrum propter vtrumq; reijcere & odisse cupimus? Parum fuisset eximia, pulchra, vtiliaq; scripsisse nisi curatione fælici hanc gloriam Epitaphij sui Salüburgici consecutus fuisset. Conditur hic Philippus Theophrastus insignis me-
Fol. 43. dicinæ Doctor, qui dira illa vulnera, leprã, Podagram & Hydropysim, aliaq; insanabilia corporis contagia mirifica arte sustulit. *Ex his satis cognoscere potestis*, Auditores, *innocentiam artis Chymicæ, vtilitatem & necessitatem: satis intelligere quod Chymicus non sit medicus sed minister, quod Hippocraticæ doctrinæ non repugnet, sed obediat, deniq; quod artem medicorum suo cultu & nitore exornet & nobilitet. Sed ne putetis me nouum Professorem, nouam doctrinam in hac veteri schola docere velle, audite præceptũ, quod Clariß. & Expertiß. D. HoltZemius Med. Professor veteranus, & Collega meus honorandus in Essentia Hellebori extracta his verbis meæ opinioni consentaneis propo-*
Fol. 24. *suit:* Spagyricis Rationalium medicorum inuentis, quia iucundè curant, cum ratione vtatur. *Videtis quod vsum suadeat propter iucundam curationem: dissuadeat abusum, quem paßim destillatores, Agyrtæ, alijq; rerum medicarum coqui committunt, qui sine ratione, id est, doctrina Hippocratica hæc sacra medicamenta in vsum ducunt.* Hic quoq; Chymicorum Laudanum inculpatum remedium esse confi-
Fol. 2. tetur: Hic Chymicorum studium & operã prædicat, quod pharmaceuticam medici-

næ

næ partem eleganti medicamentorum inuentione & præparatione auxerint & ditauerint: *Si quid igitur meæ preces (vt incipiam concludere) apud vos Studiosi medicinæ Ornatißimi valeant, consilium vtriusq; Professoris sequamini, & Hippocraticam medicinam cum studio Chymico coniungite. Audistis enim doctrinam sapientiß. nostri Præceptoris non anilibus experimentis, sed firmis demonstrationibus inniti: non coniecturis dubijs, sed certis rationibus fulciri: non lubricis opinionibus, sed solidis axiomatibus stabiliri. Audistis quantam nominis sui gloriam venerandus senex sibi comparauerit: quanta cum laude successerit filius, quantos honores & diuitias à Regibus & Principibus Hippocratica posteritas consecuta sit. Cauete vobis à bullatis Doctoribus, à Thrasonicis medicis, à Circulatoribus nequißimis, qui mellita oratione plebem inescant & facto dilaniant. Cauete ab insidijs, quas Clinicæ mulieres, à technis quas indoctæ Moniales, à dolis quos ægrotantium ministri artificibus struunt. Vtinam artis honestas nõ conspurcaretur ab ipsis Magistris, quam sanctam, inuiolatamq; seruare debebant. Sed proh Deum immortalem verè cum Poëta licet dicere*

Mistaq; cum veris passim commenta vagãtur, *Ouidius.*
Millia.

Nunc Medici honorati in sordidos Vroscopos, qui vulgi supercilio & opinione tanto peritiores sunt, quanto fortunatiores in diuinando ex inspecto lotio, artifices in superstitiosos homines, Magistri in execrabiles Magos sunt conuersi.

Mini-

Ministri suis Dominis meliores esse noluerunt: hinc Pharmacopæus incepit artis nostræ imperitus medicinã exercere: succedanea medicamenta porrigere, emedullata vendere, cõposita non mutare; hinc Pseudochymicus aurum putabile, pro potabili, Antimonium crudum pro vera medicina, Mercurium pro salutari remedio plebi obtrudere non reformidauit. His malis ô viri consulares tempestiuè occurrite, pestem hanc Reip. è medio tollite, miseros ciues à tyrannide occultâ liberate. Non de diuitiis hic agitur sed de vitâ, qua nihil carius homini esse potest: non de furibus negotium est, qui bona ciuium deripiunt, sed de latronibus qui clandestino scelere homines occidunt. Conseruate splendorem artis Chymicæ: Cultores eius vestra auctoritate protegite, nec patiamini cœleste illud donum paßim contemni, illudi, despici. Sequamur omnes Rationem & Experientiam dicamusq;

Matthias Vaserus. Dogmata non iuro in Paracelsi, aut Scita Galeni
Vera vtriusq; placent, falsa vtriusq; iacẽt.

DIXI.

Laus sit Deo & B. Mariæ semper Virgini.

Coll. Coningh. 12.
O.